

1589

*Xyfti Pontif. contra Henricum Regem exaggeratio.*

*Xyftus Pontifex monitorias literas ad Henricum et Gallia proceres mittit.*

frustra, adnitebatur. Nam Xyftus, qui jam secum ipse cuncta constituerat, tertio nonas maji purpuratorum collegio advocato, Henrici facinora exaggerat; quanta illum pietate & clementia ad poenitentiam invitarit, commemorat: *Pervicacem, praedurum, adhuc Borbonium Cardinalem Lugdunensemque Episcopum in vinculis detinere; non suasionibus, non precibus dimoveri, aut flecti posse: jure in eum jam tum animadvertere licuisse; attamen vel paterno affectui, vel regiae dignitatis bonori tantum tribuisse, ut per quinque fere menses negotium distulerit, si forte resipiscens ad veniam poscendam confugeret: modo non amplius cunctandum; ita Regis ipsius salutem poscere; ita munus sibi impositum efflagitare, cum Ecclesiam, ecclesiasticos viros, omnesque christianos populos sibi Deus Optimus Maximus credidisset: si tantae rei defuisset, exactam severamque coram eo rationem redditurum: hisce de causis consultis Cardinalibus decrevisse, Henricum per omnia Divina rogare humanaque, pro auctoritate sibi divinitus concessa monere, immo jubere, ut decem dierum ab acceptis literis, nulla mora aut excusatione injecta, Cardinalem atque Archiepiscopum liberos dimissos, pristinis dignitatibus restitueret; eaque se, vel propria manu exaratis, regioque sigillo obsignatis literis, vel alio publico diplomate, triginta insequentium dierum intervallo confecisse, Apostolicae Sedi significaret: ni obtemperaret, a fidelium coetu summovere, anathematis spiculo percutere, uti membrum putre ac morbidum ab Ecclesiae mystico corpore praecidere, cunctis Christi fidelibus ejus consuetudine, uti ab Ecclesia damnati, interdicare.* Regi insuper Guisanae caedis, Cardinalis atque Archiepiscopi captivitatis auctori, fautoribusque atque impulsoribus, ut intra dies sexaginta, Rex quidem per oratorem, ceteri ipsimet Romae se sistant, edicit: cur ob ea, quae egerint, poenis per sacras sanctiones constitutis, non teneantur, rationem redditori; cur subjecti a regio sacramento soluti non sint, expositori: ni accedant, aut accedentes rationes afferre nequiverint, in eos juxta sacras leges, Pontificumque decreta, vindicetur; Rex ex earum legum praescripto plectatur; subjecti ac beneficiarii jurejurando eximantur; ab injecto excommunicationis majoris nexu a Pontifice tantum, non ab alio, obitu etiam in-